

Dysenteria *agayropita* (nam ita vocantur lapides hi) est singulare remedium, cujus fluxum sanguineum coercet. In *Atana* convenit, si præmissis universalibus propinetur ante paroxysmum, *absorbet* enim & præcipitat *acidum* sylvestre, quod dat effervescentias, & subsequente sudore quartanam curat. In *Lyporhymia* & *palpitatione cordis* ex malo hypochondriaco; uti & in *vertigine* per consensum cum hypochondriaco malo est egregium remedium in hoc rupicapra lapide: & dum est alexipharmacus, prodest in affectibus, si sint *Epidemici*, v. g. ratione virtutis alexipharmacæ convenit præter dysenteriam simplicem etiam in *Dysenteria* Epidemica maligna, quæ sæpius populariter grassatur. De *Agayropilis* scripsit egreg. tr. *VVELSCHIVS Medicus Augustanus.*

**CAPRACERVI ORIEN-
TALIS & OCCIDEN-
TALIS,**

Dicitur capracervi, quoniam similitudinem habet ferè partim cum cerva ratione figuræ, cum capra partim ratione magnitudinis & proprietatum. Hæ capracervi tam in India orientali in provincia ac vicinia Persiæ, quam occidentali inveniuntur. Quæ reperiuntur in provincia Peru Indiæ occidentalis seu Americæ, imprimis sunt famosæ propter lapidem in eorum ventriculis, qui dicitur ratione virtutis alexipharmacæ Bezoar. *BEZOAR* enim est vocabulum *Perficum*, & significat id quod resistit venenis. Unde & hi ab Indis & Persis dicti sunt lapides Bezoar: ad horum imitationem & nos omnia remedia, quæ resistunt venenis, potenter vocamus *Bezoardica* v. g. *Tinctura Bezoardica* D. *MICHAEL: Essentia bezoard.* & sic porro *pulvis bezoard.* &c. Non ratione lapidis Bezoar, quoniam horum nullum ingreditur, sed ob virtutem similem diaphoreticam & resistendi venenis. Lapis hic Bezoar invenitur in primo ventriculo, qui vocatur *Omasus*; ut ut interdum si sit major, etiam in reliquis ventriculis reperiatur. *Modus generandi* est idem atque superius dixi de rupicapris. Imprimis autem hic lapis solet adhiberi in usu alexipharmaco, pro alexipharmaco singulari, quatenus potenter resistit venenis, egregieque per sudorem expellit: quas virtutes alexipharmacas & sudoriferas, uti rectè dicit *VVORMIVS in Museo*, habent saltem ejusmodi animalia, quæ depascunt herbas salubres, & non datur *Cervorum genus*, in quo non reperiatur talis lapis, qui venditur pro lapide Bezoar, cum tamen sint ex cervis & tantum ex depascentia herbarum salubriù Bezoardici sive alexipharmacis fiunt: Et omnes lapides sunt & fiunt Bezoardici, quorum animalia vescuntur herbis alexipharmacis. Cæterum ut ut, uti dixi, valde commendatur Bezoar in pellendis venenis, nihilominus ejus usus est rarus, & ferè exoletus apud modernos, propterea quoniam valdoperè adulteratur, adeò ut inter 100. lapides Bezoar apud nos vix unus reperiatur, qui sit genuinus, quod imprimis patet ex eo, quoniam

lapides Bezoar apud nos in Germania sunt longè copiosiores & frequentiores atque in locis suis natalibus. 2. Longè viliori constant pretio apud nos, quam in loco natali ac Persia & India occidentali, in quibus rariores sunt & chariores quam apud nos. Unde patet, quod maximam partem sunt adulterati & falsificati: & hinc est, quod sæpius irritò usu sit præscriptus lapis Bezoar, adeò ut *GVARIVIONIVS Medicus Italus in Consil. 216.* dicat, se nunquam vidisse, quod lapis Bezoar aliquid laudatu dignum præstiterit. Imo *HILDANVS Cent. 6. obs. 89.* dicit, quod hic lapis frequenter usurpatus maximè soleat nocere, & habet exemplum, quod ex impetuoso lapidis Bezoar usu fuerit, producta quartana *obs. 88.* Artificium ergo consistit in eo, ut falsus à vero possit cognosci & discerni: Cæterum hoc est difficultatis maximæ in cognitione & electione, id quod clarè deducit *HILDANVS Cent. 4. obs. 14.* & ut ut modi apud AUCTOREM & alios sint varii, non tamen potest verè cognosci: *Vnus* adhuc est præ aliis, quos habet AUCTOR, qui genuinus videtur: si scilicet lapis Bezoar injiciatur in ∇ . simplicem, ita tamen, ut observetur pondus, antequam in ∇ . injiciatur, relinquatur in ∇ . per 6. vel 8. horarum spatium, & si postmodum exemptus & benè exsiccatus idem pondus habet, quod habuit antequam erat injectus, pro genuino est eligendus; sin verò pondere est auctus, ab imbibitu ceu falsus est rejiciendus: *Verum* enim lapis Bezoar ita compacta est consistentia, ut non imbibere possit humorem nullumque pondus ex illo acquirere. Falsus verò non ita est compactus, & propter porositatem in pondere augetur. Longus aliàs est *ZACVTVS LVSIT.* in decantandis virtutibus lapidis Bezoar, *lib. 1. Med. Princip. hist. 21.* Obtinuit apud Anglos & omnes ferè modernos, ut vel raro vel nunquam utamur lapide Bezoar. 1. quoniam & nimis pretiosus & Magnatibus præscribendus. 2. quoniam sæpe est adulteratus 3. quoniam in pauca & parva admodum dosi præscribitur ad gr. v. vel. vi. ubi nihil operatur, cum tamen sit præscribendus ad gr. xv. vel. 3j. Potius utimur Bezoardico minerali vel ʒ. diaphoretico, vel etiam medicamentis ex C. C. paratis. *RVLANDVS* etiam in tractatu de morbo Hungarico pag. 147. apertè testatur, quod C. C. nobilior sit lapide Bezoar. Unde loco lapidis Bezoar exotici commodè potest substitui calculus humanus, qui est egregius in pellenda urina, est egregius in ciendo sudore, & etiam in curanda peste: id quod expertum fuit modernorum Anglorum experientia in ultima peste Londinensi. Plura qui cupit, potest videre *BAVHINVM*, qui integrum scripsit Tr. de hoc lapide: item *PRIMEROSIVM de erroribus vulgi lib. 2. cap. 36.* *ZVVOELFER.* in Appendice ad animadversiones pag. 17. 65. *HORSTIVM in Dispensatorio pag. 245.* *GVIBERTIVM in Medico officioso tractatulo de peste pag. 511.* & denique *VVORMIVM* in suo Museo, item *HILDANVM Cent. 5. obs. 29.* & *Cent. 6. obs. 89.* Quoniam ergo minus tutus est usus lapis Bezoar tam orientalis quam occidentalis, propterea raro prostant ex eo preparata, in *MTNSICHTI* tamen